

## PROOEMIUM

Imperfectam illam mysteriorum intelligentiam, quam fructuosissimam affirmare non dubitavit concilium Vaticanum, dupliciter investigamus. Primo enim capitulo quaenam ipsa sit secundum se et quemadmodum se habeat ad reliquam theologiam inquiritur. Altero autem, tertio, et quarto capitulis enitumur, ut intelligentia theoretice possibilis actu in mentibus nostris fiat circa divinas iprocessioniones, divinas relationes reales, divinas personas consubstantiales.

Non ergo de tractatu quodam theologico componendo et conscribendo hic agitur, sed de ea tantummodo parte quae strictiori quodam sensu speculativa est. Non solum enim ipsa fidei dogmata iam cognita atque stabilita supponimus, sed etiam omnes conclusiones quae ex fontibus revelationis deducuntur. Alia enim est certitudo quae ita gignitur, alia autem est certorum intelligentia quam hic quaerimus unice.

Quem in finem haud parum influunt sane tum metaphysica de operatione immanente, de relationibus, de subsistente, de persona, tum psychologica de conscientia, de intellectu, et de voluntate. At ne tota fere philosophia theologicum opusculum invadat atque obruat, ita processimus ut in ipsis argumentis minima et necessaria exponamus, in appendicibus autem paulo ampliora addamus, ad alia denique scripta eos remittamus qui profundius in quaestionem vel historicam<sup>1</sup> vel speculativam<sup>2</sup> inquirere velint.

---

<sup>1</sup> The Concept of *Verbum* in the Writings of St. Thomas Aquinas. *Theological studies*, VII (1946), 349-92; VIII (1947), 35-79, 404-44; X (1949), 3-40, 359-93.

<sup>2</sup> *Insight. A Study of Human Understanding*. London and New York, 1957. *De Constitutione Christi ontologica et psychologica*; Romae, 1956.

et 4) entia rationis quae cogitantur tantum sed esse non vere affirmantur;

*realiter distincta* sunt quorum unum qua reale non est aliud qua reale;

*proprie dicuntur*: secundum ipsam rei rationem dicuntur, et ideo non secundum sensum translatum uti in metaphora, metonymia, etc.;

*persona*: subsistens distinctum in natura intellectuali;

*natura*: principium motus et quietis in eo in quo est primo et per se et non secundum accidens;

*intellectualis*: quae respicit totum ens, totum verum, totum bonum.

#### *Status questionis.*

Argumentum iam pridem inceptum saepiusque explicatum continuatur. Quod enim via analytica ex fontibus revelationis certo concluditur, idem ipsum via synthetica aliquatenus intelligitur. Credere enim iubemur ut intelligamus. Pia ergo analytica ex creditis concludimus ut plenius, accuratius, distinctius credamus. Via autem synthetica ad fructum intelligentiae percipiendum procedimus.

Praesentis ergo quaestionis status eiusmodi est ut alia et multa iam peracta praesupponuntur neque illis nunc addatur nisi unum quoddam atque parvulum intelligentiae elementum. Praesupponuntur enim omnia prorsus quae in via analytica ex fontibus revelationis directe vel indirecte concluduntur, sive circa alias quaestiones, *sive etiam circa quaestionem praesentem*. Praesupponuntur etiam omnia quae capite secundo de processionibus et capite tertio de relationibus aliquantulum intellecta sunt. Quae cum praesupponantur, hic non repetuntur. Illud ergo unum parvulumque intelligentiae elementum nunc assequendum nihil aliud est quam perspicere nexum hoc in asserto positum, nempe, si sunt relationes divinae reales, subsistentes, et inter se realiter distinctae, sunt veri nominis personae.

#### *Argumentum.*

Relationes divinae reales, subsistentes, et inter se realiter distinctae proprie dicuntur et sunt personae, si sunt subsistentia, distincta, et in natura intellectuali.

enim proprie humana triplici perficitur gressu, videlicet, ut primo sive externe sive interne experiamur, et deinde inquirendo circa sensibilia vel conscia intelligamus et concipiamus, et tertio reflectentes et evidentiam ponderantes verum affirmemus et per verum tanquam per medium ens cognoscamus. At aliud est triplici hoc gressu actum cognoscendi perficere, aliud autem est triplici eodem gressu cognitionem nostram triplici gressu perfectam cognoscere. Qua de causa, qui ita triplicem perficiunt gressum, ut ad solum primum cognoscendum perveniant, in empiristarum abeunt partes qui aliud nobis cognoscibile non agnoscant nisi externa sensibilia et internum « ego » empiricum; quod cum manifeste pugnet cum ipsa eorum intelligentia, multis et diversis modis una eademque defenditur doctrina, quae ideo aliquando materialismus, deinde sensismus, tertio empirismus, quarto phaenomenalismus, quinto positivismus, sexto pragmatismus nominatur. Alii autem ita triplicem cognitionis gressum perficiunt, ut non solum primum sed etiam alterum clare distincteque perspiciant; et cum eadem sensibilia vel similia et conscia, aliter ab aliis intelligi soleant, hi nominantur vel relativistae in quantum nullum intelligibile simpliciter verum habere possunt, vel immanentistae in quantum nisi per verum iis ignotum ad ens non pertingitur, vel idealistae in quantum nihil posse verum esse nisi perfectam omnium intelligibilium intelligentiam docent, vel instrumentalistae in quantum unumquodque intelligibile tandiu verum, habent, quamdiu in consecraria practica et felicia conducat, etc. Alii denique non solum triplici gressu cognoscunt sed etiam ipsos tres gressus quales sint perspiciunt; et hi sunt realistae qui affirmant ens nostrae cognitioni proportionatum ita potentia, forma, actuque componi, sicut et ipsa nostra cognitio experiendo, intelligendo, et iudicando perficitur.

Quae cum ita sint, qui de conscientia humana loquitur, facillime in errorem abii, nisi omnes fere philosophias perspectas habet, quid veri quidve falsi dicant. Quod si tam facile circa ipsam conscientiam humanam erratur, facilius se ingerit falsitas cum analogice ex conscientia humana ad divinam concipiendam proceditur. Quapropter non irrationabiliter ii processerunt theologi qui de divina conscientia magis scire quam errare maluerint.

At nostris temporibus longe augetur quaestionis acuitas. Nam alia ex parte clarius perspici videtur intima personae ratio: illud enim personae proprium atque distinctivum esse dicitur, quod ipsa talis sit qualem se esse posse perspexerit et fieri voluerit; quod quidem perspicere atque fieri personae fere existere est, neque in ideali quadam solitudine sed sub adiunctis vitae humanae concretis et una cum aliis personis perficitur. Alia autem ex parte, si haec vera sit personae humanae conceptio, haud facile proceditur ad personam divinam analogice concipiendam. Imo, quod longe gravius est, ita in subiecto insistitur et ita omne quod obiecti rationem habeat contemnitur, ut haec doctrina neque cum fide neque cum theologia traditionali componi possit. Cum enim fides nostra ita sit assensus in verum (DB 1789, 1791) ut, mediante vero, ad realitatem divinam nobis revelatam pertingamus, fieri non potest ut tota obiecti obiectivitalisque ratio impugnetur, quin ipsa nostra fides prout a conc. Vaticano intelligitur simul reiciatur. Cum praeterea traditio catholica et theologica in vero et ente fundetur, pariter necesse est ut obiecti despectus etiam traditionalis theologiae despectus sit.

Quibus perspectis, cum opiniones recentiores neque ignorare neque negligere liceat<sup>8</sup>, discernendum esse censemus quod nostris temporibus vere de persona dicatur ab iis quae ex empiricismo vel immanentismo philosophico procedant. Quod enim vere de personae ratione perspicitur, non in eo fundatur quod ultra experientiam et intelligentiam in tertium nostrae cognitionis gressum non ascenditur. Quinimo, quatenus praetermittuntur rationalis reflectio, et virtualiter inconditionali perspicentia<sup>9</sup>, et autonoma illa necessitas intelligibilis qua veri verbi dictio ex intelligentia reflexa emanat, et consequens illa necessitas pariter autonoma atque intelligibilis, in qua obligatio quaedam moralis consistit et volitionis spiratio, eatenus sane ea praetermittuntur quae personae maxime sunt propria atque distinctiva.

Proinde, quamvis obiectivitatem obiectumque multipliciter dicamus pro diversitate gressuum quibus perficitur cognitio humana, caeteri sensus in hunc tanquam in principalem reducuntur, ut obiectivitas nihil sit nisi veritas, et obiectum nihil aliud dicat quam quod mediante vero innolescat. Qui sane sensus a nullo reici potest, qui supremam personae perfectionem in emanationibus intelligibilibus secundum veritatem et honestatem consistere perspexerit. Neque alius obiectivitalis vel obiecti sensus exigitur, sive ut fides ad mentem concilii Vaticani acceptetur, sive ut theologiae traditionalis soliditas atque profunditas agnoscantur.

<sup>8</sup> AAS 42 (1950), 563.

<sup>9</sup> Cf. *Insight*, cap. X.

Quod autem multos his in rebus decipere videtur, praetereundum non esse censemus, nempe, sicut duplex est realismus, natus scilicet atque criticus, ita etiam dupliciter dici « reale », « obiectum », « evidens », « cognoscere », et similia. Alia enim est ratio realitatis, obiectivitatis, evidentiae, cognitionis, in quantum fides quaedam animalis in mundum quemdam fertur obiectorum quorum singula sunt iam, extra, ibi, nunc, et hoc sensu « realia »<sup>10</sup>. Alia prorsus est earundem notionum ratio, in quantum mens, quaestionibus ducta, ex intelligentia eorum quae experitur naturas rerum concipit, ex inconditionato perspecto verum affirmat, et in vero tamquam in medio apprehendit ens.

Iam vero eiusmodi est cognitionis praephilosophicae ambiguitas ut utroque modo sit realistica. Eiusmodi est immanentissimi infelicitas ut realismum nativum reiciat quin ad realismum criticum perveniat. Eiusmodi est phaenomenologia transcendentalis ut a realismo nativo incipiat, ut per suspensionem quamdam non solum iudicii sed etiam omnis « interesse » hanc nativam realitatem tamquam phenomenon consideret, ut praeter phenomenon exterius etiam interna phenomena agnoscat, ut nativam tendentiam atque orientationem reiciat quae phenomena interna in externa reducat (mechanismus, behaviorismus), ut novam atque « transcendentalem » orientationem laudet quae externa phenomena in interna reducat<sup>11</sup>. Quibus tamen omnibus nihil efficitur nisi realismi nativi inversio: ubi enim antea omnia reducebantur ad obiectum realismi nativi, nunc omnia reducuntur ad eiusdem realismi subiectum, nempe, ad subiectum fidei animalis. At subiectum eiusmodi minus est quam humanum. Neque ad subiectum humanum revelandum reapse perlingitur, donec per inconditionatum ad verum perveniat et in vero, tamquam in medio, cognoscatur ens. Quod si ad verum et ens hoc sensu intellecta non attingitur, usurpari sane possunt voces, verum et falsum, ens et esse, existens et transcendens, praesentia et participatio, sed non ideo ultra limites novi cuiusdam immanentissimi re vera pervenitur.

Quae omnia ideo sunt dicta, ut clarius appareat quemadmodum circa conscientiam procedi oporteat. Si enim sub ratione veri et entis conscientia apprehenditur atque consideratur, simul salvantur et ipsa conscientiae ratio atque natura, et traditionalis theologiae methodus quae de veris et entibus tractat, et dogma catho-

<sup>10</sup> Cf. *Insight*, pp. 250-254.

<sup>11</sup> Ita fere inter multa alia et acuta et profunda, E. Husserl, *Die Krisis der europäischen Wissenschaften und die transzendente Phänomenologie*, edit. W. Biemel, Haag 1954.

licum quod per verum ad Deum qua trinum accedit. Si autem quis speciem antiquatae opinionis timet, si rationem veri et entis renuntiat ut subiectum intimius scrutetur, non solum ipse se implicat in immanentismo, idealismo, relativismo, sed etiam velit nolit in partes liberalium et modernistarum abit.

Quae cum ita sint, de conscientia personae divinae tamquam de ente per verum cognito disseramus necesse est. Quod si fit, nullo fere negotio tota res peragitur. Nam « intelligere inconscium » sensu caret; pariter « intelligere inconscie » sensu caret. At divinum esse est divinum intelligere; divinum ergo esse et conscium et conscie est. Praeterea, divinae processiones, divinae relationes subsistentes, et quidquid aliud realiter in Deo esse dicitur, etiam realiter cum divino esse identificantur; pariter ergo et conscia et conscie sunt. Quare, si divinae relationes reales, subsistentes, realiter inter se distinctae sunt personae, et consciae sunt personae et conscie inter se distinguuntur.

De relationibus denique interpersonalibus eadem fere est ratio. Alius enim est personalismus laudabilis, et alius est personalismus exaggeratus. Exaggeratum dicimus qui, rationem veri et entis praetermittens, ad solam intersubiectivitatis experientiam attendere velit. Laudabilem autem censemus, qui ita in vro insistat atque inhaereat, ut verum semper sit mensura, neve unquam verum revelatum diminuatur, quo clarius vel facilius cum experientia concreta, vitali, personali concordare videatur.

Quibus perspectis, ad quaestionem principalem redeundum est, nempe, quid sub nomine personae intelligendum esse videatur. Quinque enim intelligimus. Nam, imprimis, persona est commune nomen quo respondemus quaerenti, quid tres? Deinde, persona est, secundum definitionem S. Thomae, subsistens distinctum in natura intellectuali. Tertio, persona divina est vel relatio subsistens vel subsistens relatione distinctum: Quarto, persona divina est subiectum distinctum et sui conscium tum qua subiectum tum qua distinctum. solum inter se referuntur sed etiam qua personae constituuntur.

Quae quidem ita inter se cohaerent, ut posita definitione consequantur caetera. Et ideo non omnia quinque sunt stabilienda de Patre, Filio, et Spiritu, antequam eos proprie

*Deinde*, quamvis auctores maxime de constitutione personae finitae disputent<sup>6</sup>, de constitutione personae infinitae vix disputare possunt, cum tanta sit divinae personae simplicitas, ut unum idemque realiter sint eiusdem personae essentia, esse, relatio, subsistentia, proprietas, actusque notionalis. Quare, cum de realibus non sit disputandi locus, nisi de ratione personae divinae non sunt disceptationes; quas convenientius in quaestionibus annexis absolvendas esse duximus.

*Tertio*, circa conscientiam et profundior et subtilior et gravior est quaestio. Et gravitas sane manifesta est: si enim tot sunt personae quot sunt conscientiae, aut tritheismus ex tribus personis concluditur, aut Deus unipersonalis propter divinam unitatem affirmatur; et similiter in Christologia, aut personae unitas in monophysismum aut duarum naturarum distinctio in nestorianismum conducit; neque kenoticismus re vera tertiam aperit viam.

Quaestionis autem subtilitas ex ipsa conscientiae ratione oritur. Aliud enim est esse conscium; aliud autem est scire (scientia proprie dicta) se esse conscium. Illud omnium est, cum nihil aliud sit quam ipsa mentis praesentia sibi; quae quidem praesentia eo ipso efficitur quod natura nostra sensitiva vel intellectualis sive apprehendendo sive appetendo actuat; neque quidquam refert quodnam obiectum vel apprehendatur vel appetatur, cum conscii et conscie alia apprehendamus et appetamus, neque ideo conscii efficiamur quod in nos ipsos convertamur, cum conscientia ex parte ipsius subiecti convertentis inveniat, et non ex parte obiecti ad quod convertatur. Qua tamen conversione peracta, incipit aliud quod scire se esse conscium dicitur. Conscius enim se ipsum ex parte obiecti sistit, quatenus conscientiam intelligit atque concipit et se conscium esse vere affirmat. Qua de causa, ipsum subiectum conscium ipsaque subiecti conscientia omnem sui conscii intelligentiam et conceptionem et affirmationem et antecedit et concomitatur et, his omissis, superest; sed nisi definimus quid sit conscientia et nisi vere affirmamus nos secundum definitionem esse conscientes, ad scientiam proprie dictam circa propriam nostram conscientiam non pertingimus<sup>7</sup>.

Cui subtilitati accedit quaestionis profunditas. Cognitio

<sup>6</sup> *Ibid.*, pp. 26-41.

<sup>7</sup> *Sum. theol.*, I, q. 87, a. 1 ss. Cf. *De Constitutione Christi*, pp. 83 ss.